

potentior altero, nisi in virtute corporis et habundantia operum. Illi autem, qui virtute et operibus erant potentiores, alios graviter oprimebant, ea omnia, que volebant, ipsis afferrentes<sup>1</sup>, defensionem sive munitionem aliquam, in qua tueri se possent, minime habentes, aliquem, qui iustitiam, iudicium et equitatem manuteneret, minime obtinentes. Erat quippe in ipso tempore apud Grecos vir quidam prudens, probus, discretus virtute et divitiis potentissimus, nomine Troius, qui a longinquis partibus innumerablem multitudinem virorum coadunavit, quorum consilio et voluntate civitatem iuxta maris littora facere disposuit, in qua etiam se posset defendere et iura eorum illesa conservare. In cuius civitatis constructione centum milia virorum dicitur dictum Troium habuisse. Construxerunt namque civitatem illam, quam fossis et muris et turribus et aliis fortitudinibus munierunt. Illa vero civitas nuncupata est Troia a Troio ipsius civitatis conditore. Que primo ante omnes civitates, que in universo reperiuntur orbe, post aquarum inundationem fuit condita pariter et constructa. Dictum autem Troium providentia et ipsius sapientia regem et dominum eius civitatis constituerunt. Quo facto idem rex quingentos seniores sapientes, quorum consilio civitatem regeret et gubernaret, elegit. Similiter viros prudentes et potentes ipsius urbis milites fecit et dixit, quos pugnatores appellavit, ideo, quia pro iure et ratione ipsius civitatis civium et eiusdem urbis munitione pugnare debeant, iura quidem civitatis ab omni persona defendere. Alios in ea existentes civitate ordinavit, ut quilibet suum exerceret offitium, prebentes necessaria ipsis militibus pro eiusdem civitatis defensione. Relictos terrarum laboratores constituit, ut civibus victualia eiusdem urbis prestarent. Iterum viros providos et sapientes elegit, qui iustitiam et rationem in ea manutenerent munire<sup>1</sup>, ius uniuscuiusque conservarent. His ita ordinatis idem rex pollicitus est omnibus in eam venientibus civitatem impunitatem<sup>2</sup> et eos ab omni persona defendere et manutene- re. Quamobrem indefinita multitudo a longinquis partibus in ea fugerat civitate<sup>1</sup>. Crevit namque civitas illa mirabili modo decem annis. Volens vero rex ille XX. anno cognoscere, que copie in Troiana essent civitate, aurum et argentum innumerable fuit inventum, pecunie quidem quantitas nullo modo poterat computari, nec etiam ab aliquo extimari. Civium quoque capita fuerunt in ea urbe

---

1) So Hs.    2) 'impunitate' Hs.